

BURNDY
LIBRARY
Chartered in 1941

Separatio Elementorum

In olla ferrea modium fere capiente pone semimodium pulveris cribrati ~~materiae~~ ut vas sit
paulo plus quam semiplenū. Adluta caput amplum ferreum firmum bene vitreatum cum Refrigeratrice ~~—~~ Recipiente
vitreo amplissimo (viginti Gallons seu ~~(Viginti Gallones seu)~~ 160 libras aquæ capiente aut amplius. Luto ffundatorum
jungantur optimè præterquam quod in junctura Refrigeratricis & Recipientis foramen parvu-
lum maneat apertum quo Gas indomitum exeat. Accendatur et gradatim augeatur
ignis donec Refrigeratrix & mox Recipiens fumis impleantur & guttæ decidant in globum
& Recipiens nonnihil tepeat. Et in hoc calore ~~statu~~ maneant vasa per horas duas vel
tres. Deinde intendatur ignis donec Olla ~~paululum~~ candeat & tunc exime ignem
flammantem & fumantem & maneat vas donec fumi condensentur & fri-
gescant. Tunc tertio augeatur ignis donec Olla valdè candeat et Refrige-
[ratrix] sit valde calidum, dein exima ignem, & materia in Olla ignietur & spiritus
fluidus cælestis liberius ascendet et separabitur a salibus perniciosibus corrosivis. Si ignem
continuum sine his intermissionibus nimis intenderes, Spiritus quoad usum ejus in hoc opere destrueretur a corrosivis.
Tempus hybernum his operationibus convenit, tempore æstivo vel aere te-
pente caput terreum cum panno humido infrigidandum est & vasa (nempe
Olla, Caput & Refrigeratrix bene lutentur ne Spiritus avolent. Hæc opera-
tio triplici calore spatio 12 vel 14 horarum bene peragitur. Aurora proxima
aufer caput ipsumque a salibus corrosivis adhærentibus munda. Hi sales
in hoc opere inutiles sunt quamvis si sublimentur utiles esse possint in medi-
cina. Has destillationes singulis diebus repete, id est sexies octies vel decies
ad opum componendum dein sæpius ad pullum nutriendum.

Finita destillatione aquam ex Recipiente infunde in Infundibulum
vitreum separatrix cujus tubus sit fortis & subere ~~[illegible]~~ obstructus.
Stet aqua in infundibulo per horas paucas et inferius separabitur
aqua subrubra a substantia superiore oleosa. Hæc aqua subere paulisper
extracto effluat, manente tota substantia oleosa in infundibulo. Deinde
ex Recipiente in Infundibulum effundatur nova aqua destillata et
iterum separabitur aqua inferior quæ iterum effluat, & sic perge donec
aqua tota destillationum sex octo vel decem in infundibulum effusa
fuerit, & oleum totum ab aqua inferiori separatum inceperit in
substantias duas distingui nempe in oleum rubrum supernatans &
in oleum inferius seu spiritum album subsidentem ~~inferiorem~~ quod aqua & spiritus mercurialis ~~mercurialis~~ et aer crudus
et Magnes noster appellatur. Separa itaque aquas inferiores quam potis
citissime, quas utique Magnes noster abhorret et fugit (ut ait Philaletha) spon-
sus utique existens aquæ cujusdam centralis ut posthac audies. Aquæ hæ omnes
quatenus crudæ sunt impuræ sunt, impurissimæ verò sunt aquæ inferiores
utpote salium crudorum Arsenicalium & venenosorum Gas, quæ separari
debent. Effusis aquis inferioribus, stet Infundibulum in loco frigido per mensem
ut aqua reliqua inferior separetur quam effunde & interea aquas inferiores
in vitro apto digere seu putrefac per mensem vel septimanas quinque in arena tepida cujus calor sit instar caloris
gallinæ.

gallinæ ova incubantis vel non multo major.

Interea caput mortuum quod corpus erit nigrum coagulatum fragile cal
cinetur ad hunc modum. Accipe cucurbitam pedem unum altam, & fundum
ejus leniter aufer. Construe furnum latericium cum craticula sex digitos lata
Craticulæ impone terminum ampliorem cucurbitæ & furnum circumcirca
ædifica usq ad summitatem cucurbitæ cum luto figulino tres digitos crasso
inter furnum et cucurbitam. Cucurbitæ impone vas terreum cilyndricum cum
fundo plano exciso ~~autem~~ ita locatum ut margini vitri sit simile. Et
omnia arcte lutentur tanquam vas unum. Postea fundum Cornutæ vitreæ
Quartalis (Angl. a Quart Retort) ferro ignito 9 vel 10 digitos lato auferatur
vel sic ut margini prædicto aptari possit. ffrange caput mortuum in frustulas
pugnum æquantes magnitudine. His furnum imple & frustula quæ ultimò impo-
niter prius bene accendatur ad ignem. ~~Retort~~ Cornutam prædictam impone
cum Refrigeratrice una vel duabus et ampla Recipiente, horizontaliter adjunctis, id est ita
ut hæc omnia sint ejusdem altitudinis ab horizonte. Lutentur optime præterquam
quod ad os Recipientis exitus patiat aeri ~~per~~ ab igne venienti. Alias caput mor
tuum non ardebit. Sit autem exitus ~~ille~~ non major quam quo ignis conserve
tur, ne calcinatio sit nimis violenta et pars purior avolet, id quod evenisse
cognoscas si oleum corrosivum instar olei sulphuris per campanam ~~Retort~~
cornutæ infrigidatæ adhæreat. Materia sic igniendo calcinabitur in cineres
rubros ~~per~~ solares per craticulam decidentes & insuper per aerem quo ignis
nutritur ditior evadet. Ubi operatio completa est & Cornuta refriguit (quod
horis 24 vel 30 eveniet, invenies in Retorta flores albos lunares quos abrasos
collige in charta alba munda & in vitro mundo caute serva. Sunt enim fumus
aridus qui ad humidum coagulandum conducit, terra salinosa & tamen sulphurea
et incombustibilis quæ haud improprie Antimonialis dici possit. Sunt natura Luna
res & fundamentum Lunæ centralis. Hi flores in Cornuta sola reperiuntur
In Refrigeratricibus & Recipiente invenietur liquor qui ad ignem lentum
digestus & flegmate liberatus, erit acidus ut acetum.

Ex cineribus rubris cribrellatis cum aqua tepida pluviali destillata
extrahatur sal vitriolicus et liquor novis cineribus affusus evadat salsior
& sic tertio ~~aut~~ vel sæpius, donec sit satis salsus. Cineres in infundibulas positi agitentur aliquoties (puta ter vel quater) ut liquor salsus
ab eis melius separetur. Hoc facto liquorem clarum aureum habebis qui ad
rubedinem paulò declinabit. Evaporet lento igne donec sal aridus sit. Et
sic perge donec salem omnem ex cineribus omnibus rubris ~~ter~~ omnium destillatio-
num ex quibus ovum componis (id est destillationum sex octo vel decem) extra-
xeris. Aliter pondus naturæ ~~&~~ ægre attinges. Hæc operatio diebus 14 peragetur.
Hic sal propterea quod ex terra rubra solari extrahitur quæ ignem solis cen
tralis centralem habet est fundamentum hujus Thesauri varios habens usus
in compositione operis. Et hactenus de separatione elementorum.

Reductio & Sublimatio

Corpora calcinantur ut citius solvantur & eadem solvuntur ut
ab oleaginis sordicibus & sulphureis ac alijs vitijs ex insufficienti di-
gestione emergentibus & a fixatione & fusione recta corpora defen
dentibus, melius mundentur. Mundare enim corpora solubilia per
spoliationem sulphureitatem accidentalium necesse est donec sint
albissima ut crystallus omnio viriditate privata: qua sulphureitate
remanente in corporibus metallicis est impossibile ea conjungi cum
spiritibus. Si corpora et spiritus non sint ejusdem generis non com-
miscentur per minima & si non permiscentur tota spirituum substan
tia ascenderet sine mundatione aliqua. Ideo qui argentum vivum natu
a re quæ ab ejus natura extranea est sublimare laborat, frustrabitur.
Et si cum calcibus duorum luminarium sublimaveris utiliter subli-
mabis & mundabis cum facilitate. ~~quia facilis esse~~ Illud autem
extraneum non est ei in quod argentum vivum per magisterium
nostrum convertitur scilicet sulphur album et rubeum ex quo crea-
tur argentum et aurum. Quia si sulphur & Mercurium haberemus
de illa materia super terram de qua aurum et argentum fit
sub terra, bene poterimus aurum et argentum de illis facere cum
proprietate suæ naturæ. Nihil enim convenit rei nisi quod propinquū
est ei ~~[illegible]~~ ex sui natura. Vides enim quod homo non generatur
nisi ab homine nec ab alijs perfectis animalibus nisi similia. Igitur
cum fæcibus corporalibus in natura maxime convenientibus scilicet
solis & Lunæ necesse est mercurium commiscere per minima & quousq
sulphur fiat decoquere. Redde ergo aquam super terram suam ut
recuperet humiditatem perditam. — Sed cum terra ex duobus cor-
poribus esse debeat sole videlicet ac Luna, et duo eorum elementa
sicca sint dura et lapidea, scilicet ignis et terra in siccitate con
cordantia, [hæc] simul sunt præparanda cum secundum eorum
qualitates conveniant in unam et eandem præparationem. —
— Et ideo cum argentum vivum radiosis vestibus induitur bi-
partitis, propinquior erit terra foliata ad tingendum in sulphur
rubeum quam si sola alba simpliciter fuerit vestitum præsertim
cum de sua natura simili per talem colligationem per minima
jam imbibitur — filiq coitus terrarum solis et Lunæ & omnium
eorum quæ generationi talium circumstant. Conjunge ergo grossiorē
solis substantiam cum terra Lunæ post aeris extractionem & præpara
insimul propter eorum bonam commixtionem & ne confundatur —
præparatio ob defectum confortationis & unus alium bene tingat ac
de utriusq natura in seipso retineat ne aduratur in pugna ignis. Quam
obrem præparare eos insimul salvum est et naturæ propinquum.
Eorum autem præparatio (id est corporum calcinatorum) non est aliud nisi
ut majorem humiditatem naturaliter recuperent quàm in calce per
diderant &c. Raymund Codicil. p 138, 139, 142, 143, 144, 145, 146, 147. Cum
ergo corpus sulphureum sursum ascendere non potest nisi spiritus fuerit incor
poratus cum eo per minima infunde primam aquam per vices paulatim, hoc
est.

est vice post vicem, per minima conterendo & decoquendo quousq; conge-
letur: igne tamen taliter informato ut calorem naturalem non excedat
in materia, Dein leviter exicca abstrahendo flegma. Hujus autem processus
formam practicando multoties te reiterare non tædeat conterendo et
digerendo cum igne naturæ, imbibendo aqua Mercurij prima, decoquendo
& leviter calcinando cum igne [exiccante] excitanti donec de sua aqua [com]biberit
quantum evidentissime videre poteris per ejus volatilitatem si modicu[m]
de ipsa super laminam ignitam fuerit superimpositum. Hoc enim
est unum de signis suis luculentissimis. Super omnia autem cavendu[m]
est vice post vicem ne terram imbibas nisi paulatim hoc est per
minima de octavo in octavum diem cum longa trituratione in furno
secreto, taliter ut virtus mercurij virtutem sulphuris non superet quia
debiles sunt virtutes sulphuris in principio sui nutrimenti. Nam sulphur
debet mercurium ad se attrahere et in se convertere ita ut nunquam
separentur sicuti nec aqua mixta aquæ. Jb. p. 154, 155, 156, 157, 158, 169,
& 170. ~~fit pe~~ Fac igitur pacem inter ignem et aquam & habebis magiste
rium. [i.e. aquam fixe] Nam spiritus convertitur in corpus quamdiu summa fixi supe
rat summam volatilis, dein corpus convertitur in spiritum quamprimu[m]
summa ~~fixi~~ [volatilis] superat summam ~~[illegible]~~ fixi. Fac igitur ut aqua unu[m]
corpus sit cum terra, nec suspendas te ab opere donec per triturati
onem et assationem terra sicca sit & alba. Quia exiccatio cum forti
trituratione & assatione terram facit albam, Nec minus tamen adhuc
ipsam imbibere debes paulatim & postea calcinare suaviter ut
argenti vivi sequestretur aquositas. Et cave quod assatio lapidis non
sit multum fortis ne corpus solutum et ad naturam spiritus redactum
ratione suæ sublimitatis & acumine ignis vertatur in fugam et
pereat magisterium. Jb. p. 163, 164, 165, 166, 167. Expedit autem cum
corpus ita auctum & nutritum fuerit per conveniens humidum
quod juxta mensuram suæ nutritionis sive augmentationis majori
imbibas aqua ad quantitatem corporis augmentati. Quia tunc corpus
majoris est attractionis & per consequens ratione suarum partium
spiritualium in corpore assatarum & congelatarum majoris virtutis
digerentis existit. Majori igitur alimento nutriatur per vices donec
ad perfectam pervenerit albedinem. Et in fine decoctionis [ultimæ] calcina
corpus expellendo humiditatem urinalem suaviter & non festinanter
ne corpus dissolutum sit in fumum & magisterium pereat. Hic est color
qui per ignem non uritur nec intus nec extra sed per majorem
decoctionem ignis in citrinitatem reducitur quod est tertium principale
principium demonstrativum & demum per successionem & majoris
ignis digestionem terminatur in rubedinem, quod signum est numeri
completis et quarti principij demonstrativi quo Alumnus se regulare
debet in magisterio. Studeat ergo artifex omnia signa demonstra
tiva quæ in qualibet decoctione apparent. Quia dum terra egreditur
nigra

nigra imperfecta est & incompleta. Quacunqz ergo vice post vicem reitera
ignem in calcinatione donec ex ignis formatione terra egrediatur alba
Quia sicut agens in humido primo generat nigredinem ita agens in
sicco generat albedinem & successive in illo albo citrinitatem generat
sed cum additione rei singulis illud perficitur. Si dominium humidi in
terra fuerit magnum et parum in eo de dominio calidi certissime ni-
grado apparebit in ea. Et si in ea dominium fuerit calidi temperati
et parum de dominio humidi apparebunt alij colores. Jb p 172, 173, 174, 175
176. ~~Anima non conjungitur corpori~~ Aqua prius terræ jungitur quam aer et
oleum, propter humiditatem quæ putrefactionem inducit. Anima non con-
jungitur cum corpore nisi spiritu mediante & aqua primò in terram
figitur antequam aer vel oleum per reductionem in terram figantur
Nam calor in humido agens primò nigredinem generat & fumum, sed
vincens humiditatem inducit postea siccitatem in materia in quam agit
& sic transmutationem facit novam et colorem generat novum in
generatione sicci pulchrum album splendidum & nobilissimum. Si
igitur terra non fuerit alba tere eam cum aqua limpida & itera
calcina; quia Azoth id est aqua & ignis latonem id est terram
abluunt et obscuritatem ab ea auferunt: quia præparatio terræ
semper fit cum aqua, & qualis fuerit claritas aquæ talis erit
claritas terræ. Et quanto magis fuerit abluta tanto magis erit alba
Et quando quantitas humidi congelati & sublimati quantitatem ob-
tinebit corporis albedo magis generatur in materia quam alius
color ratione sui proprij humidi depurati eo quod in humido semper
est natura perspicui. Et quanto magis terra nostra in tali hu-
mido abluitur tanto magis albificabitur, & quanto magis tale
humidum depuratur subtiliatur & præparatur tanto plus colore
limpidiore & magis sereno multiplicatur. Et contra, quanto minus fumus caligo et denigratio.
præparatur tanto plus proportionatur nigredini caligini et combusti
Et quanto magis approximatur combustioni, dummodo in ea sit dominium caldi, tanto magis erit munda & a
oni. Præpara ergo Elementa ut sint a sordibus combu
combustione tuta donec earum sumatur tinctura. Quia si combu-
rantur, effectu et commodo privantur. Jb. p. 177, 178, 179. Cum terra
habueris præparatam expecta partum, cum verò terra peperit nutri
eam donec omnem ignem tolerare poterit. Tunc de ipso projectione
facere poteris Jb. p. 186. Partus vero terræ fit per viam sublimati
onis. Cum igitur terra conceperit et biberit de aqua mercurij
quantum cognoscere poteris per ejus volatilitatem & spoliationem
fæcum a substantia purissima alba [&] per jam dictas reductiones
mundaveris a sulphureitate corrumpente non fixa, protinus ejus
materiam sublima cum fortiore igne quo potes donec ascendat
ad modum albissimi pulveris vel foliorum Lunæ aut talchi splen-
didi, cujus major pars est argenti vivi [quantitas] quam sulphuris corporum.
Et ideo subita ignitione spiritus unitus per minima, corpora secum elevat
in fuga sulphuris. Cum autem videris materiam terræ purissimam sursum
elevatam & tanquam rem mortuam aludel spondilibus adhærere tunc
sublimationem super eam reitera sine fæcibus inferius manentibus,
quoniam pars illius fixa cum fæcibus adhæret et tunc per aliquod
ingenium

ingenium ab illis separare non posset aliquis. Illud vero quod [superius] in superficie Aludel tam a fæcibus quam a sua substantia media fuerit sublimatum ad modum subtilissimi pulveris adustionem cum corruptione inducit; licet pro majori parte in præfocatione vaporis tempore conceptionis vel reductionis, scilicet in calcinationibus, quod sub tilius est et magis intensum, a puro vapore evolet altius fuliginosum & a fixioris retentionis substantia separatur cum non sit de argenti vivi substantia neqꝫ de perfectione illius. Residuum verò quod sublimatum est a fæcibus est pars illa quæ ita æqualitate consistit quod simplicem fixionem super ignem facit sine adustione aliquali tanquam onus & fundamentum totius magisterij. Est enim subtilis substantia media mercurij ex qua nostra conficitur medicina quæ ex argenti vivi ducit originem & ex illa debet creari immediate. In alienum noli introducere aliquid, nisi illud quòd ortum sit ex eo in propinquitate naturæ. Et in isto passu ostenditur quod materia de qua componimus medicinam non est argentũ vivum in natura sua cum jam mutatum sit in sulphur, nec in tota sua substantia cum jam partes extremæ fuerint separatæ ab illa medicina. Imo est lapis benedictus [jam natus] & spiritus partici pans duabus extremitatibus. Verumtamen quia lapis factus sit de sua substantia media vocatur simpliciter argentum vivum, quia suum sulphur illuminat & ab adustione defendit. Fac ergo agnitionem inter clarum et limpidum ejus quoniam illud quod immediate ascendit super fæcibus adhærens ascentione mensurata vocatur cinis a cinere extractus vel a concavo ejus sublimatus & honoratus. Quod vero remanet in parte inferiore scilicet in fundo aludelli est in ferior cinis vituperatus damnatus fæx scoria & nigredo obscura qua nullatenus indiges in magisterio. Collige ergò caute quod in medio [inter fæcem imam & fuliginem summam] sublimatum inveneris ne fugiat in fumum, quoniam illud est approbatum ~~[illegible]~~ quæsitum bonum melius opti mum, terra alba foliata, coagulans ut coagulum agni, coagulatum, cinis cinerum, lapis et mercurius, arsenicum, et sulphur album, & & sal naturæ proximum, ac Infans generatus & natus, et alumen nostrum & prima et proxima materia metallorum & primum subjectũ in quo elementa propria seu ejusdem naturæ humida & temperata, ~~quæ~~ debent reduci atqꝫ figi in et cum igne suo per modum nutrimenti donec fluat cum suo fermento sicut cæra sine fumo & omnem patiatur ignem. Operare ergo cum eo ad argentum & citò incipias magisteriũ ne invetrascat sine commestione quoniam assumere eum non debes nisi recenter post partum cum sanguine suo ut natura debilitata et lassata confortetur cum suis fermentis albis, quousqꝫ ad melius sit temperamentũ propinquum. Cujus signum erit quando fluat per minimum ignem ante argen ti vivi fugam, & insuper augmentatum ad ultimum stans & penitus profundans tingens & perseverans. Ib. p. 211, 212, 213, 214, 215. Cum autem ad Elixir ru beum naturalem ignem in colore suo visibilem habere volueris pro sulphure rubeo, hoc facias per tertiam prægnationem & tertium partum. Fac ergo masculum ascendere supra mulierem candidam ut generet filium sibi si milem. Naturaliter enim desiderat pater multiplicare speciem suam in filium. Hujus verò pater est sol et Luna mater ad eorum primam simplicem materiam redacta, id est ad naturam argenti vivi. Conjunge ergo sperma masculi scilicet sulphur rubrum absconsum et solutum in aqua cum spermate fæ minino

quia cum argentum vivum cum argento vivo conjungitur nunquam amplius separatur sicut aqua aqua mixta.

minimo superius collecto ~~seu~~ id est cum sulphure albo per modum contritionis imbibitionis & lentæ decoctionis donec in aquam rubeam dissolvatur et totum fiat unum verissimæ mixtionis. Cùmq dissolutum fuerit et unum quidem factum, per modum reductionis congeletur. Coagulatum iterum solve in aquam et iterato congela in lapidem per modum superius ostensum. Tertiò verò ipsum in aquam dissolve & decoque donec totum fiat rubeum. Non enim subtiliat qui non conjungit per minima neq conjungit per minima qui [non] desiccat priusquam imbibit. Imbibe ergo totum et desicca & fiat pulvis tenuissimus scilicet solutus non in aquam nubis sed in aquam sanguinis & mercurialem. [Et quando aqua in illo fuerit congelata ad medium sui ponderis totum album erit, tunc ~~fortifica~~ ignem carbonũ fortifica, nam aliud facere non est opus quousq videas rubeum sicut scarletum, post fortifica ignem cum flamma quousq sublimetur. Raymund. Test. ult in Practica p. 153] Igitur administra ipsi ignem fortissimum ut separetur substantia alba non tincta (seu sulphur album) & residuum deauretur tingatur digeratur coaptetur & rubificetur. Quod vero ascendit sursum est sulphur [album naturæ] sublimatum albissimum nobile multum. Quod verò in fundo manet deorsum est sulphur et Elixir ad aurum. Et isto passu manifestamus Philosophos verum dixisse quod ignari et rustici tenent pro impossibili nec nos olim credidimus donec in fine vidimus & manualiter probavimus, scilicet quod unus est lapis, una medicina, una materia, una dispositio, unum opus ac unum vas ad album et ad rubeum sulphur simul & semel faciendum. Quanquam omnes hujus artis investigatores videntes prædictam albedinem in vase apparentem, adstare credant in illa rubedinem occultatam esse. Non enim oportet te fili, si totum sulphur album in rubeum convertere volueris albedinẽ prædictam extrahere per sublimationem a rubedine sed solum coquere cum igne lapidis donec totum fuerit rubeum atq fixum & nihil de eo in sulphur album valeat sublimari. Caveas tamen in modo faciendi & intelligendi effectum facientis, scilicet ignis rubificantis. Nam secundum quod virtus ignis lapidis existens in semine solis vincit virtutem aeris puri in semine Lunæ, sulphur album purum erit simile soli in rubedine. Sic habemus sulphur album et sulphur rubeum & reliquum est ut figamus sulphur album super argentum & sulphur rubeum supra aurum ut cum his transmutemus metalla imperfecta in argentum et aurum. Raymund. ib. p. 216, 217, 218, 219, 220, 221.